

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

In die festo Johannis Baptistae

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

sequatur, verbo & vestigijs ejusdem instat, seque neque divitijs & opibus, fraude vel violentia, hæresi vel tyrannide, damno vel compendio averti patiatur: Sed Sub-Pastoribus quoque, quos Christus ipse proposuit, obtemperet, ad eorumque nutum se componat, juxta illud: Obedite præpositis vestris, & parete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non ex-

pedit vobis, Hebr. 13. v. 16. 17. Quò & ipse alquando hos pastores suos, præpripmis veid Archi-Episcopum Christum Jesum, sive in horâ mortis, sive die extremo, ubi universalis ille mundi judex oviculas à dextris suis sistet, eos anteceder, comitabitur & ducet, sequatur in vitam æternam, quam in sincerâ fide, & immotâ spe exspectamus, à Domino nostro  
JESU CHRISTO,  
Amen,

IN DIE FESTO JOHANNIS BAPTISTÆ.

Evangeliu[m] Luc. 1. v. 57. -- 80.

EXORDIUM.

**I**N V. T. celebris fuit Elias, non modò ob vitæ austeritatem, siquidem Zonâ pelliceâ velut cilicio ad renes accinctus fuit, 2. Reg. 1. v. 8. & à corvis partus in deserto non nisi frigidam de flumine Crith bibit, 1. Reg. 17. v. 4. seqq. Sed & propter Zeli pietatem, quo cultum divinum instauravit, & peccata in magnis & parvis ira arguit, ut neque Achabò & conjugij ejus pepercerit, 1. Reg. 18. & 19.

Johannes Baptista, Dilecti! cujus memotiam Ecclesia N. T. hodiè celebrat, Eliæ non dissimilis est, de quo Christus ipse vaticinium Malachiæ c. 4. v. 5. interpretatur, Matth. 17. v. 10. Discipulis enim interrogantibus Christum: annon Heliam oporteat venire, ante finem seculi, ut Scribæ dixerant: respondit Servator: Helias jam venit, & non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo, quæcunque voluerunt,

Tunc, ait Evangelista, intellexerunt discipuli, quia de Johanne Baptista dixisset eis, v. 13. Similiter Christus dilucidè affirmat, Johannem Heliam esse, intellige, juxta Spiritum & virtutem Helix, Matth. 11. v. 14. Luc. 1. v. 17.

Elias fuit Propheta, qui surrexit, quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat, Eccl. 48. v. 1. Johannes Baptista plus quàm Propheta est, Matth. 11. v. 9. quia non de longinquo, Christum pòst aliquot secula venturum prophetavit, ut reliqui Propheta, sed præsentem ut Agnum Dei digito monstravit, Joh. 1. v. 29.

Elias erat Zelotes, siquidem ipse ait, se zelo zelatum esse, pro Domino exercitu, 1. Reg. 19. v. 10. Mactavit Sacerdotes Baal, & Regi Achab in faciem dixit: Tu turbasti Israel, & domus patris tui, 1. Reg. 18. 18. Pari zelo Baptista Phariseos vocat geni-

o o o o      mina

mina viperarum, Matth. 3. v. 7. & arguit Herodem, ratione incestus, quem committabat cum uxore fratris Philippi, Marc. 6. 18.

Elias Zonâ pellicâ velut cilicio ad renes accinctus erat. Ita Johannes habebat vestimentum de pilis camelorum: & zonam pelliceam circâ lumbos suos: Esca autê ejus erant locustæ, & mel sylvestre, Matth. 3. v. 4.

Elias à Jesabele in exilium pulsus, 1. Reg. 19. v. 2. seqq. Ita Johannes, à Synagogâ Judaica plura passus est, fecerunt enim in eo, quæcunq; voluerunt, Matth. 17. v. 12. tandem ex mandato Herodis in carcere capite truncatus est, Matth. 14. v. 10.

Elias omnibus aliis Prophetis præferitur, non modò ob præclara, quæ patravit miracula, sed & quia sublatus est in tempestate, in custru, & cum equis igneis, Sir. 48. v. 4. seqq. Sic Christus ipse Baptistam hoc encomio mactat, quod inter natos mulierum major eo non surrexerit, Matt. 11. v. 11.

De magno hoc & sanctissimo viro, occasione ordinarii Evangelii nunc dicturi sumus, visuri pro Instituto nostro

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

### Exegetis.

**E**Lkanæ uxor Hanna sterilis erat, quia Dominus coneluserat vulvam ejus, cum verò precibus suis filium, quem Samuelem nominabat, consecuta esset, commodavit eum Domino cunctis diebus vitæ ejus, ut serviret Domino, prout illa voverat, 1. Sam. 1. v. 5. 20. seqq.

Simile quid memorat prælecta Pericope, de Johanne Baptistâ, cujus mater Elisa-

betha ante sterilis & effœta erat, sed Dominus illius, & Zachariæ deprecationem exaudivit, Luc. 1. v. 13. ut Johannem Baptistam illa pareret, quem similiter Domino consecravit, ut Propheta Altissimi esset, qui præiret ante faciem Domini, parare vias ejus, Luc. 1. v. 76. ut prælecta Pericope pluribus probat.

### Querela respicit

I. *Sterile conjugium*, quod sæpè Christianis conjugibus causa est ingentis sollicitudinis. Zacharias & Elisabetha ambo justi erant antè Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini irreprehensibiles, ut in præcedentibus verbis Lucas meminit. Sed non erat illis filius, eò quod esset Elisabetha sterilis, & ambo processissent in diebus suis. Hoc in V. T. potissimum, pro magnâ ignominia habitum fuit. Unde Rachel mori mavult, quam sine prole vivere. Et ubi tandem à Deo benedicta fuit, dixit: Abstulit Deus opprobrium meum, Gen. 30. v. 23. Et si verum fateri fas est, non levis ærumna est, si conjuges sine liberis degant, & benedictione conjugali carere cogantur: Per liberos enim Regnum Dei amplificatur, & nomen Domini sanctificatur. Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos, talium enim est Regnum cælorum, ait Servator, Marc. 10. v. 14. & Junior Tobias dicit: se conjugem duxisse solâ posteritatis dilectione, in quâ benedicatur nomen Domini in secula seculorum, Tob. 8. v. 9.

Deindè Respubl. in omnibus Hierarchiis præclare ornat, unde Parêtes gaudio afficiuntur, quâdo filii adulti reip. utiliter preesse possunt. Hinc Siraides: Filii, & ædificatio civitatis cõfirmabit nomẽ, Sir. 40. 19.

Ter-

Terzio quoque h. m. genus conservatur, quando enim pater, qui multos filios ingenuos reliquit, mortuus est, quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se, Sir. 30. v. 4.

His commoditatibus in universum steriles carere coguntur. Hinc in Scripturâ tot lamentationes Sanctorum reperiuntur, quibus propterea usi sunt. Domine Deus, quid dabis mihi? queritur Abraham: ego vadam absque liberis, & filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer, Gen. 15. v. 2. Rachel expostulat cum Jacobo, inquit: Da mihi liberos, alioquin moriar, Gen. 30. v. 1. Anna largiter flevit, cum Dominus vulvam ejus conclusisset, 1. Sam. 1. v. 10. Sunamitis bonis temporalibus affluens, nulla alia re, nisi benedictione conjugali caruit, idè dixit Giezi: filium non habet, 2. Reg. 4. v. 14.

Hoc Dei opus est: hic uterum steriliū concludere valet, ut nihil pariant, ut Sara conqueritur, Gen. 16. v. 2. & eundem recludere potest, & facere sterilem in domo habitare, matrem filiorum latantem, Psal. 133. v. ult.

Quando igitur Deus conjugium fecundat, grato animo id agnoscendum, & videndum est, ut liberi educantur in disciplina & timore Domini, Eph. 6. v. 4. Sin minus, æquo animo id tolerandum, quia non iræ indicium sed probatio est. Acquiescant igitur pii conjuges in voluntate Dei, eidemque se reverenter subjeant. Quanto perè exultabat Eva cum Cainum peperisset, inquit: acquisivi virum Dominum, qui tamen postea ingentis luctus causa & parricida erat, Gen. 4. v. 8. Quantum dolorem Noæ iniecit Cham, Abra-

hamo Ismael, Jacobo Ruben & Dina, Eli Hophni & Pineës, Davidi Absolon, Salomoni Rehabeam? quoties illos optavisse putas, liberos ne suscepissent: Utilius siquidem est mori sine filiis, quàm relinquere filios impios, Sir. 16. v. 4.

II. *Difficile puerperium*, quod sexui fœmineo subeundum. Ita enim Deus dixit mulieri: Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos: in dolore paries filios, & ad virum desiderium tuum.

Huic difficultati imprimis subjctæ sunt provectoris ætatis fœminæ, quando antea non pepererunt, ut hîc exemplum prostat in Elizabetha, Johannis matre, quamvis illa Dei gratia superarit, & felix puerpera valetit, quod verò multis non adeò succedit.

In statu innocentia sine dolore illæ peperissent. Verum per peccata adeò res redit, ut illud Christi locum habeat: Mulier cum parit, dolorem habet, quia venit hora ejus, Joh. 16. v. 21. Hora verè dolorosa, in quâ querulatur inter dolores: Væ mihi, quia defecit anima mea, Jer. 4. v. 31. maxime, quando virtus non est parienti, El. 37. 3.

Unde Philippus Melanchthon non abs re alicubi scribit: Tria officia sunt omnium difficillima: docentis, regnantis, & parturientis. Quin Medea apud Euripidem liberè dixit, se malle ter in acie stare, quàm semel parere.

Hoc verò solatium restat piis fœminis, quod salvabuntur per filiorum generationem, si permanerint in fide & dilectione, & sanctificatione cum modestia, 1. Tim. 2. v. 15.

III. *Frequens infortunium*, cui pii conjuges subjcti sunt. Zacharias & Elisabetha

ambo iusti erant coram Domino, & Deum timentes, tamen sine cruce non fuerunt. Elisabetha queritur de ignominia, quâ ab inimicis & invidis affecta est. Zacharias mulus fit, & novem menses in hâc molestia degere cogitur, usque in diem, quo Johannes natus est.

Alii conjuges aliis ærumnis vexantur, nec quisquam ab illis immunis est, prout Deus iis onus imponit, à quo bona & mala, vita & mors, paupertas & divitiæ, Sir. 11. v. 14.

Modò pestilentia percutit, ut tempore Davidis, ubi intra triduum septuaginta milia virosum mortui sunt, 2. Sam. 24. v. 15. modò annonæ caritate affligit, ut ætate Josephi, quæ integrum septennium duravit, Gen. 47. v. 13. modò bello devastat, ut tempore Gideonis, ubi Midianitæ ascendebant cum sevisset Israel, & vastabant proventum terræ, nihilque omnino, ad vitam pertinens relinquebant in Israel, non oves, non boves, non asinos. Quin & aded affligebant indigenas regionis, ut facerent sibi antra & speluncas in montibus, & munitissima ad repugnandum loca, Jud. 6. v. 1. 5.

Et licet mala hæc publica non grassentur, tamen pii conjuges demensum suum habent, modò victus deficit, ut querantur: Quid comedemus, quid bibemus, aut quò operiemur? Matth. 6. v. 31. modò variis morbis & infirmitatibus infestantur, maritus inopinatò cæcitate pereunt, ut Tobias, Tob. 2. v. 11. uxor incurvatur, ut filia illa Abrahamæ, Luc. 13. v. 11. liberi aut maturius obeunt, ut filiolus Davidis, 2. Sam. 12. v. 18. aut claudi evadunt, uti Mephoboseth, 2. Sam. 4. v. 4. vel degenerant

sicut Absolon, 2. Sam. 15. v. 1. Non raro accidit, ut famulitia mala seminent, velut Hagar, Gen. 16. v. 4. sive vicini rixosi & invidi sunt, quales Isaac habebat, Gen. 26. v. 15. sive Almodi negotiosus est, exacerbans animos, ut in perpetuis dissidiis vivant, quod non leve malum est. Ubi enim Zelus & contentio, ibi confusio, & omne opus pravum, Jac. 3. v. 16. & quis miseras omnes exponet, quibus pii conjuges subiecti sunt? Cunctæ res laboriosæ: non potest eas homo explicare sermone, Eccles. 1. 8.

Interea pii conjuges æquo animo, hoc quicquid est afflictionis subeant. Fili, accedens ad servitutem Dei, præpara animum tuum ad tentationem, Sir. 2. v. 1. caveant verò ne sibi ipsis malum cudant, sicut inveniuntur, qui Diabolo obsequentes, propriis concupiscentiis indulgent: maritus despicit uxorem adolescentiæ suæ, Mal. 2. v. 16. mulier morosa est, & omnia jurgiis miscet, quò fit, ut non modò seipsos affligant, sed & benedictionem Dei amittant. Omne enim Regnum, in seipsum divisum desolabitur, & domus suprà domum cadit, Luc. 11. v. 17.

### De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fuit  
1. *Ex gratiosa visitatione.* Benedictus Dominus Deus Israel, ait Zacharias, quia visitavit plebem suam. In Græco ejusmodi vox occurrit, quâ sollicita visitatio indigitatur, qualis est, quando Medicus venit ad ægrotum, ut non modò eum invisat, sed & re & auxilio subveniat, quò pristinae sanitati restituatur.

Mise-

Mifera tũm temporis & afflictatõndi-  
dito erat, in totã Judæa, Iceptrum erat  
ablatum, peregrinus Magistratus impera-  
bat populo, Prophetæ nullus amplius mit-  
tebatur, falſi Doctores in fellã Moſis fede-  
bant. Omnia ad interitum vergebant, hinc  
quilibet ſupirabat è Pfalmo 14. v. 7. Quis  
dabit ex Sion ſalutem populo?

In extremis his anguſtiis viſitabat Deus  
populum ſuum, dum Baptiſtam Chriſti  
prodromum naſci curabat, ut pii hinc col-  
ligerent, Meſſiam brevi ſecuturum. Id hic  
Zacharias prædicat, neſcius, quomodo  
digne prædicare debeat.

Noſtrum erit, ampliſſimum hoc bene-  
ficiũ paulò altius perpendere, utpote  
quod omnium bono factum eſt.

Totum genus humanũ lethaliter ægro-  
tabat, imò mortuum erat in peccatis, Eph.  
2. v. 5. Verum Chriſtus cœleſtis ille Medi-  
cus, ideò in mundum venit, & carnem  
& ſanguinem noſtrum aſſumſit, ut ſanira-  
tem nobis reſtitueret, quod & fecit, per  
mortem ſuam æterna redemptione inventã,  
Hebr. 9. v. 12. Verè languores noſtros ipſe  
tulit &c. Eſa. 53. v. 4. 5.

Capiamus hinc ſolacium. Benigniſſi-  
mus Deus nos indies viſitat variis afflictio-  
nibus, id non malã intentione fit, ſed caro  
& ſanguis quandoque ægrè fert, & pro iræ  
indicto id habet. Aſt perperam. Quia  
non repellat in ſempiternum Dominus,  
etiã ſi affligit, & miſerebitur ſecundum  
multitudinem miſericordiarum ſuarum.  
Non enim excruciat homines ex corde  
ſuo, & affligit filios hominum, Thren. 3.  
v. 31. Agnovit hoc paterculus ille, cum an-  
num integrum ſine cruce fuiſſet: Domine,  
inquit, dereliquiſti me, quia non viſitaſti

me. Ita non abjiciamus animum, quando  
ærumnis nos Deus viſitat: venit tem-  
pus, quo nos auxilio ſuo viciffim viſitatu-  
rus eſt. Fidelis quippe eſt, nec patitur nos  
tentari, ſupra id quod poſſumus, 1. Cor. 10.  
v. 13. hinc non in æternum dabit afflictio-  
nem nobis, Pfal. 55. v. 23. ſed juſto tempore  
nos eripiet, ſicuti hãc ipſa ex cauſa, adju-  
tor in oportunitatibus dicitur, Pfalm. 9.  
verſ. 10.

II, *Ex glorioſa liberatione*, quam Zacha-  
rias commendat his verbis: Fecit redem-  
tionem plebi ſuæ. Zacharias loquitur in  
præterito, ſicut id Prophetæ in uſu habent,  
quia Deus per eos loquitur, coram quo  
omnia præſentia & quaſi impleta ſunt.

Alias novimus, quod Auguſtinus ait:  
*Redemptio clamat captivitatem*; eſt enim vel  
mancipium, vel captivus, vel maleficus,  
qui pœnæ magnæ, vel etiam mortis reus  
evalit.

Hæc omnia in nobis quoque reperie-  
bantur. Ratione peccati, Diaboli manci-  
pia facti eramus, conclaſi ſub poteſtate re-  
nebrarum, Col. 1. v. 13, conſtricti quoad  
intellectum catenis ignorantia, quoad vo-  
luntatem catenis injuſtitia, quoad vires  
& membra catenis malitia: hic nemo nos  
exſolvere poterat, non homo, non Ange-  
lus, in cœlo & in terrã. Miſit proinde  
Deus Filium ſuum, natum ex muliere, fa-  
ctum ſub lege: ut eos, qui ſub lege erant,  
redimeret, ut adoptione. n filiorum reci-  
peremus, Gal. 4. v. 4.

Moſes Iſraelitas eduxit è ſervitute Æ-  
gypti, Exod. 13. v. 17. Gideon è manu Mi-  
dianitarum, Judic. 6. v. 14. Simſon à Philis-  
tæis eodem liberavit, Jud. 15. v. 16. Verum  
hic frater redimendo non redimebat

quenquam, Psal. 49. v. 8. Deus ipse sanguine proprio, Ecclesiam suam redimere tenebatur, Act. 20. v. 28. Hoc grato animo agnoscamus.

Cum David immanem gigantem Goliathum prostravisset, & populum Israeliicum è manu Philistii liberasset, egressæ sunt mulieres de universis urbibus Israel, cantantes chorosque ducentes, in occursum Saul Regis in tympanis, cum lætitia & in sistris, 1. Sam. 18. v. 6. 7. Quanto magis nos gaudio exultemus, quod Christus tanquam cælestis David, ab infernali Goliatho, ejusque tyrannide nos redemerit? Per mortem enim suam, destruxit eum, qui mortis habebat imperium, id est, Diabolum, & liberavit eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti, Hebr. 2. v. 14. In sanguine testamenti sui, emisit vinctos suos de puteo, in quo non est aqua, Zach. 9. v. 11. Col. 2. v. 14.

Quà consideratione ex animo lætari & cum Zacharia cantare possumus: Benedictus Dominus Deus Israel quia visitavit, & fecit redemptionem plebi suæ. Ubi est mors stimulus tuus? ubi tua inferne victoria? Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam, per Dominum nostrum Jesum Christum, 1. Cor. 15. v. 55. 57.

III. Ex mirifica propugnatione, quam Zacharias in Cantico suo celebrat, inquiens: Erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui.

Per Cornu nemo alius notatur, quam promissus mundi Messias, Servator noster pietissimus, hic est,

I. *Cornu virtutis.* Ein Macht-Horn. Cornua propriè sunt animalium, quorum robur, virtus & pulchritudo in iisdem po-

tissimum consistit, hinc in Scripturis per illa non modo denotatur *Regnorum eminentia*, ut constat ex Dan. 7. v. 21. c. 8. v. 4. Apoc. 17. v. 2. sed & *robur & potentia*, quia robur animalium est in cornibus eorum, quibus se tumentur & propugnant. Quæ omnia non inconcinne ad Christum applicari possunt, quem Zacharias cornu appellat, quia est Rex Regum, & Dominus Dominantium, Apoc. 19. v. 16. & Regnum cepit *ἀδελφότητος*, quod in æternum non dissipabitur, Dan. 2. v. 44. nec robur, virtus & potentia ei deest, quæ ab æterno ut verus Deus, Deique Filius possedit, & ut verus homo in plenitudine temporis, vi unionis personalis, & secutæ exaltationis, ad dextram Patris accepit, Matth. 28. v. 18. Hinc cornu illud non dicitur jacere, sed *erectum esse*, quo fortitudo Christi denotatur, vi cujus paratus est pro nobis pugnandi, sicut in horto Olivei hostes suos unico verbo, Ego sum, prostravit, Joh. 18. v. 6. Quando animalia pugnare volunt, cornua exigunt: Sic Christus cornu salutis nostræ erectum est, & promptum ut in omnibus necessitatibus subveniat nobis. Quem igitur timebimus, Dominus adjutor noster, quid faciat nobis homo? Psalm. 118. v. 6.

2. *Cornu salutis.* Ein geistlich Kirchen-Horn. Per cornua quoque decor & pulchritudo nonnunquam in Scripturis exprimitur, quam cornua etiam ex parte animalibus conciliant. Ita de Mose legimus, quod splenderet cutis faciei ejus. Ubi in Hebræo vox Keren, è cujus vitiosa interpretatione originem traxit, quod Mose vulgò cornua appinguntur: cum tamen nihil aliud quam splendor & fulgor faciei ejus

ejus denotetur, quem ex conversatione cum Deo contraxerat. Quo procul dubio etiam Jobus respexit, dum filia suæ speciosissimæ à cornu nomen imposuit Kerenhabuch, quod cornu conversionis significat, Job. 42. v. 14.

Hoc idem Christo congruit, qui est imago invisibilis Dei, & splendor gloriæ ejus, Hebr. 1. v. 3. lux mundi, Joh. 8. v. 12. & speciosissimus inter filios hominum, Pl. 45. v. 3. non modò ratione externæ formæ: sed & ratione interioris sanctitatis, Dan 9. v. 24. ratione gloriæ & decoris, quo Pater cælestis ipsum coronavit, Psal. 8. v. 6. in nostrum emolumentum, ut esset Jehova Zidkenu, Jehova justitia nostra, Jer. 23. vers. 6. à cujus plenitudine acciperemus gratiam pro gratia, idè de hoc cornu dicitur, quod erectum sit in domo Davidis.

*Domo Davidis imago est Ecclesia.* Sicut enim Davidi Messias in specie promissus est, quod è stirpe & prosapia ejus nasciturus sit: Ita nemini conferuntur beneficia Messia, nisi qui in Domo Davidis, hoc est, Ecclesia versatur, in qua cornu hoc erectum est, & omnia distribuuntur, quæ Christus sanguine suo pretiosissimo acquisivit. Christianus non est, qui in Ecclesia Christi non est, ait Cyprianus. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur, Marc. 16. v. 16.

### De Tertio.

**R**estat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt,

I. *Cum proxime gaude.* Hac in parte nobis præeunt vicini & cognati Zachariæ.

Audito enim, Dominum eum in senectâ recens nato puerulo exhilarasse, omnes ipsi gratulantur, juxta admonitionem Pauli: Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus, Rom. 12. vers. 15. Hæc natura & proprietas est caritatis Christianæ, quæ respicit arctissimam necessitudinem, quâ Christiani invicem devincti sunt. Omnes enim spiritualiter unum corpus sumus, 1. Cor. 10. v. 17. sicut igitur membrorum corporis hæc est natura, si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra, 1. Cor. 12. v. 26. Ita & comparatum sit oportet, cum corpore mystico Ecclesiæ, ut si uni bene est, reliqua membra omnia congaudeant: si male, omnes commiserationem habeant, & viscera misericordiæ induant, Col. 3. v. 12.

Quod idem quoque S. Angeli exemplo suo nos docent. Christo in hunc mundum nato, gratulabantur illi lætabundi humano generi, accinentes: Gloria in Excelsis Deo, Luc. 2. v. 14. Quando homo aliquamdiu in luto peccatorum hæsit, ille verò respicit à Diaboli laqueis, à quo captivus tenebatur ad ipsius voluntatem, 2. Tim. 2. v. 26. iterum gaudium oritur apud Angelos Dei in cælo, ut Christus docet, Luc. 15. v. 7. 10.

Angelorum proindè vestigiis insistamus, ut & ipsi aliquando in cætum Angelorum assumti, lætum *ἄνθρον* in æternum cum ipsis cantemus, Esa. 6. v. 3.

II. *Unanimitati stude.* Præclarum speculum habemus in Zacharia & Elisabetha. Elisabetha enim hinc filio suo nomen Johannis imponit. Ubi verò hoc cognatis

cognatis non arridet, ideoque parentem interrogant, ipfe in pugillari fcribit: Iohannes eft nomen ejus. Præclara fanè inter Conjuges harmonia, ubi os, lingua, & mens concordant, illic mandavit Dominus benedictionem & vitam ufque in feculum, Pſal. 133. v. ult.

Ex adverfo verò, ubi maritus & uxor in perpetuis diffidiis vivunt, & contraria voluntate diffident, ibi fanè benedictio evaneſcit, & maledictio ſuccedit. Omne quippe Regnū in ſeipſum diviſum, deſolabitur, & domus ſuprà domū cadit, Luc. 11. v. 17.

Ubiunque conjuges concordiam colunt, ibi vivere poſſunt ſub tegmine aſſerum, Sir. 29. v. 29. contenti buccella ſicca plus, cum pace, quam alii, cui domus plena victimis cum gaudio, Prov. 17. v. 1. Ubi verò diſcordia & lites regnant, maritus habet Dinam rixoſam, quæ ſemper ignem evomit, ut Hiob. 2. v. 9. ſive uxor Nabalem moroſum, cum quo litigium quaſi natum eſſet, ſemper altercationibus decertat, ibi fanè miſeriarum finis non eſt, ut taliter viventi mori magis expediat, quam ita vivere, Tob. 3. v. 6.

Quicumque igitur ſapit, amans vitam tranquillam, & diligens videre dies bonos, inquirat pacem, & perſequatur eam, Pſal. 34. verſ. 13. 15. Tria enim probata ſunt coram Deo & hominibus: Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier benè ſibi conſentientes, Sir. 25. v. 1. 2.

III. *Laudes Deo cane.* Exemplo nobis eſt Zacharias Sacerdos, quia enim à Deo egregiis beneficiis ornatus non modò filiolum in provecſta ſenectute acceperat, ſed & loquelam ſuam recuperarat, id ſilento præterire nequit, ſed in egregium

Canticum erumpit, inquit: Benedictus Dominus Deus Iſrael,

Nos veſtigiiſ ejus inſiſtentes idem faciamus. Hæc enim Chriſtianorum proprietas, ut gratias agant ſemper pro omnibus, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Deo & Patri, Eph. 5. v. 20.

Hoc ſancti Dei homines omnibus ſeculis obſervarunt, quorum exempla propterea in Scripturis conſignata ſunt, ut & nos officii noſtri memores, quando nobis Deus cælitus omnibus corporalibus & ſpiritualibus beneficiis benedicit, ipſi viciffim labiis noſtris in terris benedicamus, & ſanctiſſimum ejus nomen celebremus. Hæc eſt voluntas Dei, in Chriſto Jeſu, in omnibus vobis, ait S. Paulus 1. Theſſ. 5. v. 18.

Sicut enim officium noſtrum requirit, ut oremus: ſic idem flagitat, Deo gratias agere, eique conſiteri & pſallere; id bonum eſt, Pſal. 92. v. 2. Hoc modo venimus in ſocietatem Angelorum, quorum perpetuum opus eſt Deum laudare. Id fecerunt in initio Creationis, ubi Deus terram fundavit, Job. 38. v. 7. in nativitate Chriſti, Luc. 2. v. 14. & hodie tenus faciunt, quando throno Dei adſiſtunt, clara voce inſonantes, & Deum ter Sanctum celebrantes, Eſa. 6. v. 3.

Quid verò pius Chriſtianus melius, quid utilius facere poteſt, quam in eodem opere cum Angelis occupatum eſſe, & in eorum Choro linguam ſuam in Dei laudes reſolvere? Id in beata futura vita omnium electorum perpetuum opus erit. Qui enim habitant in domo tua Domine: in ſecula ſeculorum laudabunt te, Pſal. 84. verſ. 5.

Interea

Interea decebit, ut hîc in tempore gratiæ, ubi plerumque ex profundis clamamus, Pfalm. 130. verl. 1. laudes Dei incipiamus, & ibi in gradu excellentiori plenius illas continuabimus, cum magna

electorum catervâ cantantes: Alleluja, falus & laus, & gloria & virtus Domino Deo nostro. Fiat per CHRISTUM JESUM, Amen.

## IN DIE FESTO PETRI ET PAULI.

*Evangelium Matth. 16. v. 13. -- 19.*

### EXORDIUM.

**F**Acta est olim in obsessione Samariæ tanta fames, ut caput asini octoginta argenteis, & quarta pars cabi stercoreis columbarum, quinque argenteis venundaretur, 2. Reg. 6. verl. 25.

Hinc lucefcit, quam *dira afflictio fames* fit, in qua & viliffima quæque magni æftimantur, hominesque ad res abominabiles emendas & comedendas adiguntur, ficut hîc Samaritani capita asinina, quæ tamen ipsis in lege interdicta erant, Levit. 11. v. 4. ficut & sterco columbarum edere, & tædïofas has merces pretio comparare coacti funt.

Quod si verò corporalis fames tanta afflictio est, quantam *spiritualem*, ubi non fames, panis, neque fitis aquæ, sed audiendi verbum Domini est, Amos 8. v. 11. existimabimus. Utique gravis afflictio, & gravis pœna censenda est, quando Deus cum verbo & Sacramentis Regione emigrat, & Prophetia deficit, Prov. 29. v. 18. & ita homines salutaris animæ cibo privat, ibi enim ad pacem amaritudo amara, Et

38. v. 17. ut in afflictione pereant, Pfal. 119. v. 92. & ficut testudo diffluit, prætereant, Pfal. 58. v. 9. & quia fame hâc pressi, ululant ut canes. & circumeunt civitatem & vagantur ad cibum, si verò non fuerint saturati, murmurant, Pfalm. 59. v. 15. 16. doctrina prophaniffima, & cultus impiiffimus ipsis ad palatum est, anhelant illum, velut famelici cibum, quin & caput asini, hoc est, Pseudo-Prophetas carè coëmunt, & comparant sterco columbarum hæreticos multo argento, nec tamen requiem animarum inveniunt, Jerem. 6. v. 16. Soph. 1. v. 18.

Ejusmodi spiritualis fames regnat quoque in idololatrîco Papatu, ceu spirituali Samaria, ubi sanè salutis animæ cibus, sermo Dei pretiosus est, & visio non manifesta, ut tempore Eli, 1. Sam. 3. v. 1. Contrà verò capita asini & sterco columbarum in deliciis habentur: talia sunt decreta Pontificis, statuta Conciliorum, traditiones humanæ, Monachorum fabulæ &c. quæ quidem nimis carè emenda sunt, siquidem Papistici illi nundina-

PPPP

tores